



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Philomathi Mvsae Ivveniles**

**Alexander <VII., Papst>**

**Coloniae Vbiorum [i. e. Amsterdam?], 1645**

LXI. De Roboreo, I. Civilis Lavrea Donato.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12750**

## L X I .

DE ROBOREO, I. CIVILIS  
LAVREA DONATO.

In gratiam Volumnii Bandinellii, alludit gentilitio  
Roboreo Insigni; ac juveni bene auspicatur.

**D**aphnis canentem ferta comantia,  
Vernasque frondes; admonuit sacer  
Phœbus; nec insanos amores,  
Sed veteris refer, inquit, altum  
Quercus honorem. Gloria præpotens  
Arbos tonantis, tu decus Italæ  
Telluris, adnascentis oras  
Aspicias, occiduique solis.  
Scepbris onusta, annisque gravis, caput  
Attollis ad cælum leve, & auream  
Terræ coronam despicis, dum  
Civica perpetuo triumphas.  
Intorta ferri vis tibi nil nocet:  
Sed cæde crescis, sub patulo fovens  
Phœbi triumphales coronas  
Tegmine, Palladiasque frondes.  
Ingens canorum currit ad Orphea  
Iam quercuum sylvæ; at vice reddita  
Vates vocantur huc remotis  
Sedibus, & venerantur umbram.  
Ex hoc vetusto Robore pullulat  
Sublime germen: jam celeris diem

Præcur-



Præcurrit ævi, atque arduum per  
 Aëra amat superare nubes.  
 Ergo sonoris te fidibus sequar.  
 Iam jamque cælos desuper auferor  
 Divinus augur, jam futuris  
 Fata licet cecinisse seclis.  
 Ætas beatis ferrea desinet  
 Annis, & orbi mox fluet aurea;  
 Novasque glandes, aureas &  
 Cernere erit rediisse gentes.  
 Astræa terris exul, ab æthere  
 Delapsa fulgens, sidus amabile  
 Reliquit autumnale, & ore  
 Ver nitido placidum reportat.  
 Regnat potentis dextera Virginis,  
 Cujus sacerdos legibus aureis  
 Fraudes catenat, qui nocente  
 Fulmineo fugat ense pestes.  
 Longe hinc iniqui diffugiunt doli,  
 Non ira fervens, non furor, aut amor  
 Hians habendi, ardor nec auri  
 Exitium referent in urbes.  
 Sed vivet intactum decus, & fides,  
 Et jura sanctis condita moribus,  
 Ex quo Iovis famosa quercus  
 (Chaoniæ ut canitur loquuta)  
 Responsa terris Iustitiæ dabit  
 Terrestre numen. Desine garriens;  
 At, Musa, dein carmen superbo &  
 Plectra juvet posuisse trunco.

LXII. CHRI-